



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 4. Varia de Bonis, & Bonitate, in genere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

Quasi de eis virum, qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terra, ne disperderem eam, & non inveni. Ezech. 22. 30.

Quia magnificavit Dominus misericordiam suam cum illa. Luc. 1. 58. Vocat Evangelista hunc partum misericordiam: magna quippe, & excellens misericordia est Domini, in Mundum justos mittere. Stella in Luc.

Donavit tibi Deus omnes. Act. 27. 24. Propter S. Paulum donata est vita omnibus cum ipso navigantibus; quos omnes tempestas absorbuisset, nisi ipse praesens fuisset. S. Chrysostr., in morali: si navigantes, naufragium sustinentes; si & vincti, per Paulum, servati sunt; cogita, quid est, esse virum sanctum in domo: multae enim tempestates etiam nobis incumbunt his multo graviores; sed potest Deus etiam nos donare, modo credamus sanctis, sicut illi; si fecerimus, quae praecipunt.

Ex Patribus, & aliis.

Vehementer sanctis opus est: servant enim urbes; & regiones, clade impendente, liberant; iram Dei, quantumvis ferventem, vitae claritudine retundentes, & impetus ejus iracundiae in curfantes nos, quasi retrahentes. S. Cyrill. Alex. in Amos n. 61.

Medulla hujus Mundi sunt Sancti. Medulla, quamdiu in arbore fuerit sana, floret; cum autem percomesta fuerit, tota paulatim marcescendo siccat. Sic & quamdiu sunt fideles, stat iste Mundus. Auth. imp. oper. in cap. 1. Matth.

Consuetudo misericordiae Dei est, honorem hunc dare servis suis, ut propter eos salventur & alii. S. Chyl. hom. 4. in Gen.

Bonos persequuntur mali. Vide tit. Peccatorum.

§. IV.

Varia de Bonis, & Bonitate in genere.

Dixit Deus: fiat lux, & vidit Deus lucem, quod esset bona. Gen. 1. 3. 4. Non pulchram eam vocat, sed bonam: id enim est, quod in rebus aspicit, & quod ejus oculos trahit, rei bonitas. Octavian. in Eccl. 15.

Ejiciens daemonium &c. Luc. 11. 14. Deus permittit, ut nobis eveniant mala, quod aestimemus bona: Quis homo bonam valetudinem, quam in praesens fruitur, pro dignitate, vel aestimat, vel curat? cum vero morbus illum sustulit, quantum votis expectit; jacturamque ejus quam acerbè sentit. Hinc Hier. quid boni habeat salus, languor ostendit. Did. Niff. D. 3. Quadr. §. 3.

Bonitas finxit hominem de limo. Tertull. l. 2. adv. Marcion.

Non potest bonus non esse, qui bonis placet: nec minus validum argumentum mihi videtur, quod bonus sit, si malis è regione displiceat. S. Bern. ep. 248.

TITULUS IX.

BONITAS DEI.

§. I.

Communicativa sui.

Ex Veteri, & Novo.

Factus est homo in animam viventem. Gen. 2. 7. Chald. *In animam loquentem. Formavit Deus hominem de limo terrae.* Hebr. *Psalmavus Deus hominem pulverem, vel lutum, de terra. Insufflavit.* Ut ostenderet, ait Theodoretus, tam facile esse Deo animam creare, quam homini insufflare. Cum ipsum flatum, animamque, Deus homini communicavit, seipsum communicavit, quasi suum in illo cor indidisset. Corn. hic.

Conceptum sermonem tenere quis poterit? Job. 4. 2. Ea est natura verbi, ut omnia tentet, dum se prodat. Verbum divinum vehementissime cupiebat hominibus communicari. Baeza l. 2. c. 1. §. 2.

Si quis sitis. Joan. 7. 37. Alia est sitis Dei, alia creaturarum. Sitis creaturae est, desiderium recipiendi, quia mendicitate premi-

tur; sitis vero Dei, est desiderium se effundendi: quia, cum sit plenus omni bono, & redundans; se communicare desiderat. Sicut enim, si os maximi fontis obstrueret, multaque congeries aquae accederet, exireque conareretur, merito diceret, fontem sitire se effundere; sic divina Bonitas, &c. Obstruitur autem hic fons peccato. Olor. fer. 2, D. Pass.

Ex Patribus, & aliis.

Cujus bonitatis totus testis est Mundus; quem non instituisse, nisi bonus fuisset. Tertull. l. de Trinit. Quare fecit Deus hominem? non quasi indigens Deus hominis, plasmavit Adam; sed ut haberet, in quem collocaret sua beneficia. Propter hoc exquirat Deus ab hominibus servitutem; ut, quoniam est bonus, & misericors, benefaciat eis, qui perseverant in servitute ejus: in quantum enim Deus nullius indiget, in tantum homo indiget Dei communi-
S. Jreg. l. 4. c. 28.

Bonus